Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cenderet naviculam et precedere eum trans fretum donec dimitteret turbas. Discipulis precepit transfretare. et compellit ut ascendant naviculam. Quo sermone ostenditur. invitos eos a domino recessisse. dum amore preceptoris. nec punctum quidem temporis ab eo volunt separari. Et dimissa turba. ascendit solus orare in montem. Si fuissent cum eo discipuli petrus et iacobus et iohannes. qui viderant gloriam transformati. forsitan ascendissent cum eo in montem. Sed turba ad sublimia sequi non potest nisi doceretur eam iuxta mare in littore. et aleretur in deserto. Quod autem ascendit solus orare: non ad eum referas qui de v. panibus v. milia saturavit hominum exceptis mulieribus et parvulis. sed ad eum qui audita morte iohannis recessit in solitudinem. non quo personam domini. sed quod opera eius inter deum et hominem divisa sint. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Recte quasi inviti et retractantes apostoli a domino recesserant. ne illo absente naufragia sustinerent. Denique domino in montis cacumine commorante. statim ventus contrarius oritur et turbat mare. et periclitantur apostoli. et tam diu imminens naufragium perseverat. quamdiu ihesus veniat. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Stationes et vigiliae militares. in ternas horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos dominum.